Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift

quesiuit perditam et apostatam puerum se ipsum prodige consumantem et postea re-
uertentem fame afflictum sine se amplexatus est et ueste splendida ornauit ac anu-
lo induit precioso. Qui equalem mercedem circa undecimam horam uenientibus
tribuit et nobis penitentibus per regenerationem dabit quod oculus non uidit et au-
ris non audiuit et in cor hominis non ascendit que preparauit deus dili-
gentibus se. His auditis Eubolus dixit: O basili celestis demonstrator trinita-
tis, pre credo in deum patrem omnipotentem. Et in hoc fide que in me est ostendo
tibi quia omnia que michi sunt in manus tuas dans reliquum tempus uite mee tecum
ero, si placitum in conspectu domini fuerit, suscipiens ex sancta aqua et spiritu rege-
nerationem. Basilius dixit: Benedictus dominus deus noster amodo et usque in seculum. O Eu-
bole, qui splendidit lucem ueram in mente tua et transtulit te de misero errore in magni-
tudinem misericordie sue. Quia uero ut dixisti in commune uis ostendam tibi quomodo saluti mee prouide-
am: in uinculis istius uite nos liberantes. Vendidimus omnia que nobis sunt et demus indigen-
tibus et sic in sanctam ciuitatem abeamus ipsi uisuri que ibi sunt miracula et apud deum
acquiramus fiduciam. Et sic utique eorum que erant dispensantes, ad sanctum babtisma
tantum indumenta ex ipsis emtes, ierosolimam ibant conuertentes ad deum gentilium
multitudinem magnam.

Venientes denique antiochiam ciuitatem, ducti sunt in stabulum ad quendam;
filius uero stabularii nomine Filoxenus sedebat ante portas in anxietate
plurima. Erat autem hic discipulus Lybanii sophiste. Acceperat enim ab ipso uersus
homericos transmissos ad rethores et in tribulatione multa manebat. Quem uidens
basilius ait ad eum: Qua causa sic tristis es o adolescens? Qui ait: Quid mihi prodest si tibi
dixero. Insistente autem basilio et promittente se proficere, dixit ei sophistam et uersus
et que causa hac agonio. Basilius denique accipiens eosdem uersus cepit dicere eorum transla-
tionem. Stupens autem adolescens et gauisus scripto illos disponi deprecatus est. Qui
scripsit eorum absolutionem in tribus translationibus. Puer autem suscepit eos gaudens
et inde abiit ad lybanium et dedit ei uersuum translationem. Suscipiens autem Lyba-
nius expauefactus in translatione eorum dixit: Per diuinam prudentiam nemo qui nunc sapi-
entum sunt quid tale interpretari potuerunt. Unde igitur istorum nouus operator? Dixit puer: Peregri-
nus quis ueniens in stabulum meum paratissime discussit mihi istorum absolutionem.
Non neglegens igitur Libanius cursu uelocissimo stabulum aduenit. Et uidens basilium
simul cum Eubolo et noscens defectus factus est in insperato eorum aduentu.